

sole torridi, quotidianum obibant opus: nec raro, plane omnibus defecti alimentis, cibaria ostiatim emendicabant eventu vario, quippe cum alii sibi quoque angustam esse domi rem dicerent; alii commoti misericordia, ex eo quod suppetebat liberaliter impertirent. Ejusmodi inopia conflictatis, ad extremum Prætor modicum quid, eleemosynæ nomine, ad tolerandam ex parte vitam adsignat, quoad reliquis deinde necessitatibus ab Lusitano Rege pro cætera ipsius munificentia ac pietate subventum est. Inter eas tamen ærumnas miseriasque (si ultro suscepta pro Christi nomine incommoda nominibus hisce appellare fas est) adjuvandis quantum liceret, Lusitanorum animis, exemplo, verbo, sacramentis instabant. Sed non eo consilio tantum trajecerant pelagi, uti Europæis inquilinis, Christi notitia dudum imbutis, atque ab infantia ad numerum fidelium adscriptis, potissimum operam darent. Indigenarum illi salutem præcipua contemplatione spectabant, in cæcis opinionum tenebris, & in summa veri Numinis ignoratione versantium. Itaque, simul ac popularis e Lusitania Sacerdos advenit, qui curionis parochive munere fungi posset, concessis illi ædibus tanto sudore constructis; extra oppidum novam in sedem loco edito commigrarunt, quem montem Calvarium ipsi dixere, circumfusus undique barbarorum tuguriis, magno scilicet apertoque discrimine vitæ; sed sacra Deo & devota jam capita nihil pro salute hominum periculi recusabant. Atque hac maxime ratione Prætori ac cæteris, (quos tamen haud omnino relinquebant) satisfactum a Patribus. Alia longe erat causa Vincentianæ coloniae, quos exsules ferme, in ultimis finibus ab omni Christiano pastore disjunctos, atque ob id ipsum cœlesti carentes cibo, circumfremetibus barbaris, ipsa propemodum efferaverant loca. Ad hosce igitur omni studio recreandos refovendosque Nobrega ex ipsa suorum paucitate duos in præsentia destinavit; Leonardum Nonnium, & Didacum Jacobæum. ipse cum reliquis ad Brasiliis indidem cicurandos & erudiendos incubuit. Erat omnino laboriosa provincia, & multis difficultatibus implicata. obstabat incitiam linguæ, quamquam haud ita copiosæ nec variæ, tamen ab omni Europæo sermone plane abhorrentis. obstabant ingenia moresque incolarum: quod super quotidianas cædes, ac finitima bella, & inexpiabile ulciscendi certamen, dapesque diras, in crapulam quoque ac Venerem projecti, magis in dies obtunderent aciem mentis; & flagitiorum cœno quicquid erat indolis bonæ demergerent. Accedebat indomitum ac late patens malum, & quo valentius nihil aditum atque iter obseperit Evangelio; veterum Christianorum, indigna tali nomine ac professione, licentia procacitasque, cum anxia cupiditate fordibusque conjuncta: ut eorum adventus in barbarorum vicos, vitæque consuetudo, cum graviter cunctos offenderet, tum ingentem nomini Christiano invidiam infamiamque conflaret. Nec leve afferebat incommodum ipsa mobilitas gentis, & crebra, uti dicebamus, mutatio loci; ut sub ipsam interdum messem, fessis agricolis, & diuturnum laborem tædiumque spe largi proventus de more solantibus, adultæ jam segetes repente apparere desinerent. Postremo deploranda erat hic etiam, in tam vastis terrarum spatiis, tantula ac tam deserta operarum manus. Sed nequaquam idcirco fracti animis, vel debilitati sunt Patres, haud ignari videlicet, quam exiguo numero Apostoli quantas olim res Deo duce atque adjutore gessissent. & Christus idem, talium consiliorum parens fautorque, recentibus